DE

LOCO PARALLELO,

Obscuro & difficili,

JACOBI,

Cap. 4. Vers. 5. & 6.

PRÆLECTIONES QUINQUE.

In Collegio MARIANO habitæ ab *A. C.* Professore Theologo.

Novum Testamentum in vetere est velatum: Vetus, in Novo revelatum. Augustin. *in* Psal. 105.

In Veteri Testamento est occultatio Novi: in Novo Testamento est manifestatio Veteris. Idem de Catechiz. Rudibus.

EDINBURGI,
Excudebat *Andreas Anderson*, pro *Georgio Suintoun*,
ANNO DOM. 1656.

עמ׳עשו

In Versum 5. & 6. Capitis 4. *Jacobi.*

PRÆLECTIO PRIMA.

Expectatis fortasse nunc, præfationem in Hebræam Grammaticam, aut Grammaticam saltem prælectionem, sed expectationem vestram fallam; idque commodo, ni fallor, vestro. Neque enim Grammaticum Argumentum nunc tractabo, sed Theologicum; famulante tamen Grammatica: ubi levis unius aut alterius animadversionis Grammaticæ, usum non levem esse sentietis, in re gravi: in loci paralleli obscuri & difficilis explicatione, ex Epistola *Jacobi*, *cap.* 4. *versu* 5. *&* 6. Sed verba nunc Apostoli, ea qua par est attentione & reverentia, audite.

5. Η δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει· πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκισεν ἐν ἡμῖν.

6. Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν διὸ λέγει· ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.

Quanta alias, in locis parallelis sit difficultas non opinor ignoratis. De hoc loco affirmare possum vix alium esse, qui plus negotii interpretibus facessat; quod ex commentationum & interpretationum varietate, satis apparet. Erasmus, *in hunc locum plaustra*, inquit, *Interpretationibus onusta inducunt Theologi recentiores.* Heinsius, *vix esse locum, in quo minus nervos intenderunt veteres, aut magis æstuarunt recentiores.* Lorinus, *locum satis esse obscurum.* Estius, *non parvam habere difficultatem.* Calvinus, *Interpretes se multum hîc torquere* ait. Paræus, *non parum obscuritatis habere, ubi hoc dicat, & quid dicat.* Si hîc Grammatica nonnihil juverit, & viam ad loci

obscuri intelligentiam monstraverit; nihil est, quod hanc ancillam despicatui habeatis.

Præcipua hic Quæstio est de verbis citatis, & unde: cujus membra inter se colligata atque implicita sunt duo; quænam verba citentur, & unde, utrinque est difficultas, & sententiis variatur; quas primum recensebo, & in certos ordines digestas examinabo: inde, quid mihi sentiendum videatur aperiam & explicabo.

Et primo, sunt qui Novi Testamenti Scripturam hic citari existiment. *Ar. Montanus*, *Luc.* 9. 55. *Nescitis cujus Spiritus vos sitis.* *Tigurni*, ut refert *Tossanus*, Rom. 8. 9. *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu: si quidem Dei Spiritus habitat in vobis.* *Tossanus* ipse, cum Veteris Testamenti unum & alterum indicasset locum, addit; *nisi quis malit locum esse sumptum ex Epist.* ad *Gal. cap.* 5. *vers.* 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum: Spiritus adversus carnem.* Favet *Gomarus* in hanc quam in cæteras à se recitatas sententias, propensior. Verum obstat Apostolorum stylus, & perpetua consuetudo. Nam in locorum citationibus, Scripturæ nomine non aliam intelligunt, quam Veteris Testamenti Scripturam Propheticam, nec aliund Testimonia citare consueverunt. Lorinus, *Verisimile est insinuari Veterem Scripturam hic, & quoties in aliis Libris Apostolicis Scriptura citatur: non quam alii jam Apostoli scripserint.* Confidentior hic est *Estius*, *illud imprimis*, inquit, *admoneo; Scripturam intelligi deberi Vet. instrumenti: nam ubicunq; in Libris Apostolicis Scriptura citatur, ad legem & Prophetas respicitur: non ad ea quæ Apostoli jam scripserant.* *Paulus*, inquies, citatur à *Petro* 1. *Epist.* 3. 11. quem locum objicit *Gomarus*. *Resp.* Splendidum *Pauli* elogium agnosco, & de mutuo Doctrinæ consensu illustre testimonium. Sed nullum hic *Pauli* locum à *Petro* allegatum video. *Jacobus* vero Scripturam sine dubio intelligit Propheticam, Hebræis ad quos scribit familiarem. Nam Epistolam ad *Galatas* unde constat à *Paulo* tum fuisse scriptam? Aut ἀδημοσιεύτως ut verbo utar *Eusebii*, id est, publice editam & in Ecclesia Hebræorum receptam, iisque adeo notam & familiarem, ut una inde excerpta sententia in tam gravi & justa reprehensione, satis ponderis & authoritatis apud eos haberet.

Secundo alii Scripturam Vet. Testamenti a *Jacobo*, hic citari

non

non negant, sed locum nusquam inveniri aiunt, *Mariana* in scholiis *Verba nusquam invenias, & vix sententiam. Episcopius* se nescire dicit locum ad quem Apostolus respicit, *fieri enim posse, ut Scriptura illa in quâ locus ille tum exstabat interciderit. Ioannes Deodati* in Annotationibus *Italicis, Anni,* 1607. *Hic locus,* inquit, *nusquam in Scriptura exstat: citari potuit (quemadmodum & alia quædam Novi Testamenti loca) ex Libro aliquo qui perierit.* Idem sentit *Musculus* in locum æque impeditum, *Mat.* 2. *vers.* 23.

Sed hi dum se expedire volunt, magis implicant & impediunt. Assertio illa de Veteris Testamenti libris qui perierint, indeque in Novo Testamento citatis testimoniis, omninò est improbabilis; In Ecclesiam juxta, atque Scripturam ipsam, ejusque Authorem Spiritum Sanctum, ut mihi equidem videtur, injuriosa & contumeliosa. Neque nunc in quæstionem istam excurrere est opus. Videte *Spanhem. in dub. parte* 2. *dub.* 87. *&* 88.

Tertiò, Alii Librum Apocryphum ab Apostolo hîc citatum esse suspicantur *Lyr. Dionys. Carthus. lib. Sap. cap.* 1.6. *Spiritus sapientiæ est benignus. Card. Hug. vers.* 5. Nam inter alios dicendi & commentandi modos, hunc quoque hi Authores afferunt: sed adeo improbabilem ut in eo refutando immorandum non sit. Hi omnes, Doctores inter pontificios insignes, de Canone Scripturæ recte sentiebant, nec sapientiæ Librum Apocryphum esse ignorabant: imo *Lyr.* & *Card. Hug.* Nominatim è Canone illum excludunt: *Dionys. Carthusianus, Hieronymi* sententiam de 22. Libris Canonicis Vet. Testamenti probat. Librum tamen sacrum esse crediderunt, ex quo citatum testimonium suum pondus haberet. Ita *Deodati* in scholiis posterioribus *fieri posse,* inquit, *ut testimonium hoc sumatur ex Libro qui perierit; sacro quidem, sed non Canonico.* Priorem sententiam nonnihil c orrexit vir pietate & eruditione insignis. Sed in novos laqueos se induit, nam quicquid sit de aliis citationibus ubi Apostoli Scripturam aliquid dicere affirmant, non aliam utique intelligunt quam Propheticam & Canonicam. Sunt qui *Henochi* Prophetiam ex Libro Apocrypho citatam esse existiment. *Esto.* Apostolus *Judas Henochum* Prophetasse affirmat: Scripturam dicere, ut hic *Jacobus,* non affirmat.

Lyr. præf. in Tob. Card. Hug. prolog. in Iesum & Tob. Carth. præf. in genesin.

Quarto, Alii, non certum aliquem locum citari hic putant, ſed proferri ſententiam quæ ſæpius in Scriptura occurrat ; idque quoad ſenſum potius, quam verba. Ita non pauci celebres & eruditi Interpretes, quos eo redactos eſſe credo, quod de certo loco qui ipſis ſatisfaceret inveniendo, deſperarent. *Zuinglius, Hæc Verba,* inquit, *quod ego ſciam in Scripturâ diſerte non ponuntur : poſſunt tamen, quod ad ſenſum attinet, ex Scripturis eruta dici.* Calvinus *Doctrinam continere,* ait, *quæ paſſim in Scriptura occurrat.*

Sed neſcio, an ſententiam, aut Doctrinam Scripturæ conſentaneam proferre, ſit Scripturam citare. Apoſtolus hic Scripturam dicere ait : at quæ ex Scripturâ per conſequentiam eruuntur, in Scripturâ quidem *ſunt*, ſed non *dicuntur* : Secundum *Nazi-*
Lib. 5. de anzenum ; qui alia in Scripturâ *eſſe*, ait, & *dici* : alia, *eſſe in*
Theologia. Scriptura, non dici ; quæ inde ſcilicet, per conſequentiam colliguntur. Scriptura, inquies, aliquid dicit bifariam ; expreſſè, & per conſequentiam. Eſto. Sed in locorum citationibus quæri illud poteſt, cum Apoſtoli Scripturam hoc aut illud dicere affirmant, an de ſolo expreſſè dicto intelligi hoc debeat, an de dicto etiam conſequenter. Et diſtinctione opus videtur. Primo, duo ſunt conſequentiarum genera ; unum, ubi eſt terminus aliquis in antecedente, qui non eſt in conſequente, *Argumentum* ſcil. unde & Argumentationis nomen : & hic, alias conſequentia eſt operoſa & remota : alias aperta & evidens, ut cuivis ſine artificio appareat. Alterum eſt conſequentiarum genus, ubi nullus eſt terminus in antecedente qui non eſt in conſequente ; ut cum æquipollens concluditur ex æquipollente, vel exponibilis ex iis quas exponentes vocant, *&c.* Deinde, Apoſtoli alias ex dicto Scripturæ aliquid probant, aut impleri Scripturam dicunt quæ aliquid prædixerit ; & tum nihil mirum ſi conſequentiis aliquando utuntur, quæ nunquam in mentem hominis venirent niſi Spiritu
Auguſtin. revelante ; *Cum in Vetere Teſtamento Novum ſit velatum, vetus in novo revelatum* : alias cum Scripturam dicere aliquid aiunt, nihil aliud quam dictum Scripturæ ſignificant, quo uti ad probationem, reprehenſionem, *&c.* velint, & tum dictum illud, in ontibus Hebræis, aut in verſione Græca LXX. ſeniorum ; aut reſſè habetur, aut verbis æquipollentibus : aut ſi Argumentatione

tatione est opus, consequentia adeo aperta est & evidens, ut statim sine artificio appareat. Hæc obiter, quæ exemplis illustranda alias, & accuratius examinanda. Sed quicquid sit de aliis citationibus (nam nihil hîc definio) omnino consilium Apostoli hoc loco postulare videtur, Scripturæ dictum aliquod expressum, Hebræis ad quos scribit, notum & familiare; quod in gravi reprehensione quâ hic utitur, plus apud eos ponderis haberet, quam sententia alibua ex Scripturâ, non nisi per consequentiam eruta.

Sed & hi quoque variant; alii ad superiora referunt, alii ad sequentia. *Calvinus* ad superiora, ad illud quod prius dictum, mundi scil. amicitiam adversari Deo: *Doctrina*, inquit, *quæ passim in Scripturâ occurrit*. *Calvinus* Authorem, quem sequeretur, habuit gravem, venerabilem *Bedam*. *An putatis quod inaniter dicat Scriptura?* Illa Scriptura, inquit *Beda*, *quæ à malorum societate fideles coercet, non inibis fœdus cum iis, &c.* Exod.23.32. Deut.7.2. *Bedam* sequuntur Author glossæ & *Card. Hugo*, non repugnante *Estio*, qui instituto Apostoli non male quadrare ait. *Calvinum* ex nostris nemo sequitur, quod sciam, ne *Beza* quidem, *Calvino* alioqui addictissimus. Et durum equidem videtur, ad superiora referri, nam ita Pronomen τοῦτο addi oportuit, an putatis quod Scriptura inaniter *hoc* dicat. *Calvinus* respondet esse ellipsin Pronominis, quam excusat concisa brevitas Apostolo familiaris, ut *Oecumenius* & alii observarunt. Nihilominus, hæc ellipsis mihi durior videtur. Sed cui *Bedæ* & *Calvini* hæc sententia displicet, is afferat meliorem: quod tentare saltem, est nostrum. Interpretationem improbamus, vel quod aliena sit, vel minus commoda; ubi alias Argumenta non desunt, quibus refellamus: sed optimum Argumentum, ubi suppetit, est Interpretatio aptior; quæ luce sua se probet, & minus aptam refellat.

Estius quoque ad superiora cum *Beda* & *Calvino* (sed paulo altius repetendo) refert; ad illa scil. verba *petitis & non accipitis, quio male petitis, ver.3. An putatis Scripturam inaniter dicere? Quid? Petite, & dabitur vobis.* Ubi? Iis in locis ubi invocantes se auditurum promisit Deus, *Psa.*37.5. & 34.6. & 25.3. *&c.* Sed vos male petitis, *ad invidiam concupiscit Spiritus vester*, ideo non datur quod petitis, quia non nisi *in veritate*, id est, sincere *invocantes audit, Psal.* 145.18. Hanc suam Expositionem *Estius* perspi-

cuam esse dicit, *maximè q; inhærere contextui Apostolico.* Sed mihi, ut altius repetita, ita obscurior & alienior videtur, quam *Bedæ* & *Calvini.* Apostolus affirmat, non inaniter dicere Scripturam, sed quid? *Petite & accipietis. In veritate se invocantes audit.* Hæccine ab Apostolo hic dicuntur? An ab *Estio* supplentur potius: aut ex verbis saltem Apostoli per consequentiam colliguntur. At expressè ab Apostolo esse dictum, quod Scripturam, nec inaniter hic dicere affirmat quis dubitet? A citante utique expressè dici oportet quod se citare dicit; quamvis consequenter fortasse dictum, ab eo qui citatur. Ita expresse hic legimus, quam *Beda* & *Calvinus* sententiam, ab Apostolo citatam dicunt, *mundi amicitiam esse inimicitiam cum Deo.* Quænam verba citentur, & unde, est dubium & controversum: sed expressè ab Apostolo esse scriptum, quod Scripturam hic dicere, idque adeo vehementer affirmat; nemo hactenus, quod sciam, dubitavit.

Alii ad sequentia referre malunt. Et primo sunt qui invidiam hîc pro zelo aut zelotypiâ sumunt. *Spiritus concupiscit ad invidiam, i.e.* ad zelum, est spiritus zelotes. *Exod.*20.5. & alibi, ubi Deus Zelotes vel zelotypus dicitur. Ita *Erasmus* in Paraphrasi quem *Cajetanus* videtur secutus: & ex Pontificiis plures ita sentiunt *Gagneius, Salmero, Lorinus, &c.* ex nostris *Bullingerus.* Sed durum illud videtur, atque â phrasi Scripturæ, & â scopo Apostoli alienum, quod invidiam hic in melius accipiant pro zelo, Deoque attribuant, ut audietis.

Paræus allusionem esse dicit ad illa Veteris Testamenti loca, ubi Deus se in populo suo habitare velle dixit, ut *Exod.*25.8. & 29.45. & alibi. Ut verba citata sint hæc, *Spiritus qui habitavit in nobis*: quæ non sunt integra & perfecta oratio, sed avulsa sententiæ Apostolicæ particula. Neque enim Apostolus ait, *An putatis quod inaniter Scriptura dicat, Spiritum habitare in nobis,* sed *concupiscit ad invidiam Spiritus qui habitavit in nobis.* Videtis verba hæc, *Spiritus qui habitavit in nobis,* esse imperfectam integræ sententiæ particulam. Nec placet, quod *Paræus* allusionem esse dicit; quia hoc non videtur esse Apostoli consilium ad quædam Scripturæ loca alludere: sed certo quodam Scripturæ dicto, in gravi & patheticâ reprehensione, ad Hebræos efficaciter convincendos uti.

Quinta

Quinta Interpretum classis restat, eorum qui certum aliquem Vet. Scripturæ locum, ab Apostolo hic allegari agnoscunt. Primo *Beza* πρὸς φθόνον ἐπάγεται, *ad invidiam fertur, ista*, inquit, *uno contextu leguntur, ita ut hæc non sint Apostoli verba sed testimonium ex Scriptura sumptum. Respicit autem quod scriptum est*, Genes. 8. 21. *Imaginatio cordis humani mala est*, & Genes. 6. 5. & ita ante *Bezam Lyranus*, & *Dionys. Carthusianus*. Sed neque de hominis Spiritu, aut imaginatione loquitur Apostolus, ut audietis: neque locus iste *Genes.* ad rem presentem attinet, ubi nulla invidiæ mentio. *Mali* nomine generali comprehensam dices, fateor. Sed quidni etiam idololatria perjurium, *&c.* Generalior utique est ista sententia, quam ut huic loco congruat.

Hoc *Tossanus* vidit & alia loca indicat, *Jobi* 5. 5. *Stultum interficit indignatio, & fatuum morte afficit zelus*, sive, ut alii vertunt, *invidia*. Et *Proverb.* 21. 25, 26. *Desiderium vel concupiscentia pigri morte afficit eum. Totum diem desiderat desiderio, vel concupiscit concupiscentiâ.* Sed nimis hæc aliena, quibus ipse parum confisus ad novum Testamentum confugere est coactus, *Gal.* 5. 17. ut dictum.

Junius locum, quem hîc citat Apostolus, sumptum esse putat ex *Num.* 11 29. *An invides mei causa? Atqui utinam totus populus Jehovæ essent Prophetę, indente Jehovâ spiritum suum illis.* Cùm *Eldad* & *Medad*, qui erant inter conscriptos, in castris prophetarent, *Josua*, æmulatione tactus, *Mosen* rogabat ut illos cohiberet. Respondet *Moses*, *Anæmularis*, sive, *invides mei causa?* Vide ne feceris: Idem enim Spiritus Propheticus, in illis, atq; in nobis habitat: hujus autem Spiritus invidia fructus non est; *Neque enim ad invidiam concupiscit Sanctus ille Dei Spiritus, qui in illis atque in nobis habitat.* Ita fere doctissimus *Junius*, more suo, acutè. Nec alio nomine hæc *Junii* commentatio displicet, quàm quod nimis sit acuta. Nam ex reprehensione, ut videtis, singulari, generalem thesin infert, per consequentiam & argumentationem conglobatam, magisque operosam, quàm in citatione locorum par sit.

Vorstius Apostolum respicere hîc dicit ad locum *Genes.* 6. 3. *Non disceptabit Spiritus meus cum hominibus in perpetuum.* Sensus. Spiritum Dei semper in homine adversus carnem contendere

dere, ſive (quod hîc Apoſtolus ait) concupiſcere & ferri ad invidiam, id eſt, piam & ſanctam quandam contentionem; ut probetur quod jam dixerat, *amicitiam mundi eſſe inimicitiam cum Deo.* Hanc expoſitionem eſſe ſimpliciſſimam, ſe eam habere ex commentariis manuſcriptis *Mathiæ Bergii*, & mirum non antea ab *Eraſmo*, *Beza*, *Junio*, &c. fuiſſe obſervatam.

Sed inanem hominis confidentiam quis ſatis miretur? *Junius* locum *Geneſ.* Interpretatur, & rectè, de Spiritu Dei contendente & diſceptante *ſecum*, non *cum homine.* Quæ Expoſitio eſt Rabbi *Salomonis Jarchi*, quem *Junius* ſequitur, *non commovebitur & contendet*, inquit *Raſchi*, *Spiritus mens* עלי *in me, vel adverſus memetipſum, propter hominem in perpetuum*, i. e. לארך ימים *in longitudinem dierum*, in longinquum tempus, *ecce Spiritus mens diſceptavit* בקרבי *in meipſo, an perdere an parcere debeam, non erit diſceptatio illa in Spiritu meo in perpetuum.* ἀνθρωποπαθῶς dictum. Hinc ſcholion *Junii*, *non diu mecum diſputabo quid iſtis hominibus ſim facturus.* Et *Vatabli*, *quaſi Deus ſecum loquens dicatur, non diu diſceptabo quidnam facturus ſum de homine, an illum punire debeam.* Scio, alios interpretari de Spiritu Dei diſceptante & contendente cum homine per Prophetas: ſed quid hoc ad ſcopum Apoſtoli? Et invidiam pro ſanctâ contentione ſumi, & Deo attribui, ubi *Vorſtius* in Scripturâ legerit?

PRÆLECTIO SECUNDA.

EX dictis ſatis, opinor, intelligitis, quanta ſit loci hujus difficultas, quam tot, & talium Interpretum induſtria perrumpere vix potuit; apud quos nihil hactenus invenimus, in quo animus acquieſcat. Experiamur ergo, an opis aliquid ferre Grammatica hîc laborantibus poſſit.

Ut rectè intelligas, prius dandam eſſe operam (moneret Grammaticus) ut rectè legas. Nec mirum, ſi parum intelligant, qui perperam legunt. Ut rectè autem legas, caveto primùm ne malè diſtinguas, ne voces jungendæ dividantur, aut dividendæ jungantur: Deinde, ne malè pronuncies, ne affirmatè interrogationem

gationem legas, quæ vim fortaſſis habet negationis. Hæ duæ ſunt præceptiunculæ Grammaticæ, leves illæ quidem; ſed quæ neglectæ, non levem moleſtiam Interpretibus exhibuere, qui in conciſâ & patheticâ Apoſtoli oratione, clauſulas & interpuncta verborum, non ſatis accuratè obſervarunt. Nemo in hoc genere diligentior fuit quàm *Lucas Brugenſis*, is interpunctiones aliorum quatuor recenſet, quintam ipſe addit. Nobis maximè probatur, quam loco ille quarto poſuit cum interrogatione duplici. *An putatis quòd inaniter Scriptura dicat?* Hîc prima interrogationis nota. *Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in nobis?* Hîc nota interrogationis altera. Eandem *Beda* probat, eumque ſecuti *Author gloſſæ*, *Hugo Card. Lyr. Dionyſ. Carthuſ.* & plures alii. Sed aliquid *Brugenſis* diligentiam fugit, aut ab eo ſaltem neglectum, quod in hâc cauſâ eſt præcipuum: nempe, verba aliquot quæ primam interrogationem proximè ſequuntur eſſe Parentheſi includenda, in hunc modum.

Verſ. 5. *An putatis quod inaniter Scriptura dicat? (ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitavit in nobis? Imo majorem dat gratiam)* hic parentheſin claudo & comma quintum finio.

6. *Propterea*, inquam, *dicit* (ad perſpicuitatem orationis vocem [inquam] ſuppleo) Scriptura ſcil. quæ ſequitur, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus vero dat gratiam.* Hic locus eſt Scripturæ Vet. Teſtamenti ab Apoſtolo citatus, diu multumque à nobis uſque ante hâc, ſed fruſtra quæſitus, ex *Prov.* 3. *v.* 34.

Teſtimonium ergo ab Apoſtolo citatum, citationis formulam, *an putatis quod inaniter Scriptura dicat?* non præcedit, ut ſentiunt *Beda*, *Calvinus*, *Eſtius*; ſed ſequitur: non proximè tamen, ut alii plerique omnes; ſed verbis quibuſdam interpoſitis. Nec placet *Bezæ* Annotatio *verba* ad invidiam concupiſcit, *&c. eſſe uno contextu legenda, nec verba eſſe Apoſtoli, ſed teſtimonium ex Scriptura ſumptum*: quin contra cenſeo cum *Calvino* hæc verba eſſe Apoſtoli; quæ non præcedit tamen teſtimonium ex Scriptura ſumptum, ſed ſequitur *verſ. 6. Deus ſuperbis reſiſtit*, &c. Idque unum teſtimonium Apoſtolus citare voluit: non duo, ut omnes fere Interpretes hic credunt.

Et hanc citationis Apoſtolicæ explicationem, primum legere

mihi contigit, apud *Emmanuelem Sa*, cujus in hunc locum Annotationem nunc, si placet, audite, *quam Scripturam dicat ignoro, nisi forte referendum id sit, ad id quod infra dicitur, Deus superbis resistit*, &c. Ejusdem meminit *Estius* nominato Authore, & ex nostris *Gomarus*, Authoris nomine suppresso. *Alii*, inquit, *ad sequentia variè referunt; & quidem vel remota, nempe ad versum sextum, ut parenthesi media includantur.* An alium Authorem intelligat nescio; illud video, polito & limato doctissimi *Gomari* Judicio non displicere; cum meminisse absque nota & censura dignetur: nam Interpretationes alieniores se omittere, ipse dicit. Quod à *Sa* ergo timide & hæsitanter dictum, id ego confidentius affirmo. Citatio Apostolica referenda omnino videtur ad verba illa versus sexti, *Deus superbis resistit*, &c. Ut alio referatur, ad superiora, vel proxima: nec verba Apostoli evincunt, nec patitur sententia.

Restat igitur (quæ nunc suscepta dissertationis hujus pars est altera) ut hanc Interpretationem illustremus, & confirmemus: ut omnes intelligatis, nihil hic esse violentum aut coactum; quod aut à phrasi & verbis, aut à scopo & sententia Apostoli sit alienum. Sed est altera quædam Annotatio *Erasmi*, quam ante omnia examinare oportet, quia omnem nostrum conatum inutilem reddit. Is Textum interpolatum esse suspicatur, & verba illa versus sexti, *propterea dicit, Deus resistit superbis*, &c. (quibus nos testimonium ab Apostolo citatum contineri diximus) esse *huc addita in marginali spatio* ex 2 *Pet.* 5. 5. *Deinde à scriba parum erudito in contextum translata. Erasmo* favet *Oecumenius*, & quidam codices Græci: sequuntur ex nostris *Bullingerus*, & *Grotius*, quem nescio an nostrum nominare debeam. *Calvinus* in medio relinquit, plus satis *Erasmi* authoritati tribuens. Ex Pontificiis, *Isodorus Clarius*, in editione suâ verba illa omisit, Is monachus fuit qui vulgatam editionem corrigendam suscepit. In Præfatione ait, *Consilium non fuisse ad vivum omnia resecare: & loca tamen, ad octo millia, à se annotata fuisse atque emendata.* Satis itaque ampla emendandi materia non deerat, quamvis hîc abstinuisset manum. Sed & ille quoque *Erasmum* videtur secutus, quem nimis hîc fuisse suspicioſum, eruditi Interpretes, Pontificii & nostri jam antea observarunt. *Beza*, in omnibus

bus exemplaribus ſuis hæc verba inveniri teſtatur. *Eſtius, Latini,* inquit, *omnes & legunt & interpretantur: Habent Græci codices & multi & vetuſti, & ex iis editiones* Complutenſis & Aldina. Addo & *Roberti Stephani,* viri non minus eruditi, quàm periti Typographi. Eadem quoq; verba habent Interpres *Syrus* & *Arabs.* A Patribus citantur, tanquam *Jacobi, Origine Homil.* 3. *in Exod. Caſſiano* 12. *Inſtit. coll.* 6. & 7. ut *Lorinus* hîc teſtatur. Placet *Eſtii* conjectura. *Sententiæ,* inquit, *hujus prætermittendæ occaſionem fuiſſe puto quod ſimiliter deſinat cum parte præcedente,* dat gratiam, *Quæ res ſcribam oſcitantem fefellit, ut omiſſis verbis mediis ad ſequentia tranſiret.* Quod in ſcribis meis, ait *Lorinus,* quotidiè experior. *Eraſmi* verò ſuſpicionem illam non ſatis firmam fuiſſe, re & facto in Paraphraſi ipſe ſua declaravit; Ubi eandem hanc ſententiam reſtituit: Ab *Eraſmo,* ergo ad *Eraſmum:* à Scholiaſte ad Paraphraſten provocamus.

Superato hoc obſtaculo, progredior, & quæ deinceps ſum dicturus in quatuor capita redigam. Primò, Citationis formulam diligenter expendam. Secundò, Verborum ſenſum aperiam, quæ Parentheſi incluſa eſſe dixi, quia non parum illa difficultatis & obſcuritatis habent. Tertiò, Teſtimonium, quod hîc citavit Apoſtolus, cum loco paralello Vet. Teſtamenti comparabo. Quartò, Teſtimonii citati vim & uſum, ex ſcopo Apoſtoli, ex ſerie verborum, & ſententiæ totius Analyſi oſtendam.

Formula citationis his verbis continetur; *An putatis quod inaniter Scriptura dicat?* Interrogatio eſt pathetica, & vim habet negationis vehementis. *Inaniter Sa* exponit ſine cauſâ, malim, ſine effectu. Senſus. Quæ Deus in Scripturâ mox citanda dicit, effecta dabit, verba inania non ſunt.

Interrumpitur autem citationis formula per ἐμβολὴν, id eſt, ſententiam interjectam Parentheſi includendam, hanc ſcil. *(ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitavit in nobis? Imò majorem dat gratiam)* Hîc claudenda Parentheſis. [*Propterea dicit*] eſt Epanalepſis, quâ redit ad inchoatam & interruptam citationis formulam, repetendo verbum λέγει [*dicit*] ubi, ut magis perſpicua ſit oratio, ſupplendum [*inquam.*] *Propterea,* inquam, *dicit.* Neque enim novum teſtimonium hîc Apoſtolus citat, ſed priorem citationem interruptam, per Enapalepſin repetit.

Sic alias, ſententiæ interruptæ verbum unum aut alterum repetitur, ubi ad illam reditur, ut 2*Cor.* 5. 6. θαῤῥοῦντες οὖν, *confidentes igitur.* Interrumpitur ſententia *verſ.* 7. ad quam reditur *verſ.* 8. repetendo verbum θαῤῥοῦμεν, *confidimus autem:* & rectè Latinè vertas, *confidimus inquam,* Gal. 2. 6. ἀπὸ τῶν δοκούντων, *ab iis qui putantur eſſe aliquid.* Inde ſententia Parentheſi interrumpitur, *Quales olim fuerint nihil mea refert,* &c. Ad quam redit repetendo, οἱ δοκοῦντες: Ubi Latinè rectè vertas, *Ii,* inquam, *qui putantur eſſe aliquid,* Eph. 3. 1. τούτου χάριν, *Hujus rei gratia ego Paulus captivus ille Ieſu Chriſti pro vobis Gentibus.* Poſtea interrumpitur ſententia, ad quam demùm redit, *verſ.* 14. repetendo eaſdem voces, τούτου χάριν: & aptè Latinè reddas, *Huus,* inquam, *rei gratia.* Ita hîc, ad interruptam à ſe citationem Apoſtolus redit, repetendo verbum λέγει, *Propterea,* inquam, *dicit.* Videtis ergo nihil hîc eſſe durum, à ſtylo Apoſtolico, aut communi loquendi conſuetudine alienum.

Ad ſententiæ interpoſitæ explicationem pergo, quæ non parum habet difficultatis, ut dixi. *Ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitavit in vobis? imo majorem dat gratiam.* Ubi prima quæſtio eſt, de quo Spiritu loquatur hîc Apoſtolus. Interpretes variant. Alii dictum accipiunt de ſpiritu hominis; *Zuinglius* de ſpiritu renato: de corrupto, *Beza, Toſſanus, Eſtius,* &c. De corde ſcil. hominis depravato, quod in pravam concupiſcentiam omni impetu fertur. Alii de Spiritu Dei; *Calvinus, Bullingerus, Junius, Paræus, Piſcator:* ex Pontificiis; *Cajetanus, Gagneius, Salmero, Mariana, Lorinus,* &c. Et rectè. Nam de Dei Spiritu loqui Apoſtolum mihi dubium non eſt; quod duobus argumentis gravibus & firmis, ex ipſo contextu probari poteſt.

Et primò ex Phraſi illâ & loquendi formulâ, quâ *Spiritum in nobis habitare* Apoſtolus hîc ait, de ſolo Spiritu ſancto crebro apud *Paulum* uſurpatâ, *Rom.* 8. 9, & 11. *Propter ipſius Spiritum habitantem in vobis.* 1 Cor. 3. 16. *An neſcitis quòd templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitet in vobis?* 2 Cor. 6. 16. 2 Tim. 1. 14. Epheſ. 3. 17. Ubi eſt idem verbum κατοικῆσαι, & 2. 22. vocamur κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι.

Cujus loquutionis ratio eſt altius repetenda ex vet. Teſtamento, ubi Deus in populo ſuo habitare dicitur. Quod idem Apoſtolus

ſtolus docet, 2*Cor.* 6. 16. *Vos templum eſtis Dei viventis:* ſed quomodo id probat Apoſtolus? *Quemadmodum dixit DEUS, Habitabo in illis.* Levit. 26. 11. conferte *Exod.* 25. 8. & 29. 45. Et hinc Spiritus ſancti præſentiam adeoque & Spiritum ſanctum ipſum Hebræi שכינה SHECHINA vocant, ait *Elias* in Tisbi à verbo שכן habitare propriè in tentorio, quod à Græcis dicitur σκηνὴ. Et ad hanc ipſam vocem Apoſtolus *Ioannes* alludere videtur, *Apoc.* 21. 3. ἰδὲ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν. Et *Paulus*, 2Cor. 12. 9. ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμέ, *ut inhabitet in me potentia Chriſti.* Apoſtolus ergo Phraſi hîc utitur, Hebræis ad quos ſcribebat notâ & familiari, qui השכינה Spiritum ſanctum transformari indignarentur in יצר הרע JETSER HARANG, id eſt, concupiſcentiam pravam, ſive innatam illam corruptionem, quæ *Spiritus inhabitans* nuſquam in Scripturis dicitur. Spiritus quidem humani Apoſtolus meminit, 1*Cor.* 2. 11. & peccati inhabitantis, *Rom.* 7. 20. Spiritus quoque immundi ſeptem κατοικεῖν *habitare* in homine dicuntur, *Math.* 12. 45. Sed τὸ πνεῦμα, *Spiritum inhabitantem*, in ſingulari numero, niſi de Spiritu ſancto, nuſquam in Scripturâ dictum invenias.

Id ſi paulò attentius conſideraſſet *Jacobus Laurentius*, infirmitatis hoc argumentum non damnaſſet: cui non parum roboris accedit ab altero argumento, ex verbis ſequentibus. *Imo majorem dat gratiam.* Quis? Spiritus ille cujus proximè mentionem fecerat Apoſtolus, quem in nobis habitare dixit, idem gratiam dat majorem; Eſt ergo Dei Spiritus ſanctus qui ſolus gratiæ eſt author & largitor: non ſpiritus hominis, ſeu renatus, ſeu corruptus, qui gratiam non dat, ſed accipit. Verbum autem δίδωσι, *dat*, non alio referri, quam ad *Spiritum*, τὸ πνεῦμα, quod proximè præcedit, ſeries verborum docet: alioqui hiulca eſſet oratio, nec cum antecedentibus ſequentia ſatis cohærerent. Hinc *Lyranus* hanc expoſitionem meliorem eſſe dicit, quia magis literam continuat. *Carthuſianus* ob eandem rationem *literaliorem* eſſe dicit. *Eſtius* judicioſus Interpres, quamvis alteram expoſitionem de ſpiritu humano ſequatur, ſic tamen ſcribit. *Qui partem proximè præcedentem de Spiritu DEI interpretantur, hîc non laborant: nam eundem Spiritum in hâc parte commodiſſimè ſubaudiunt: qui verò de Spiritu vitioſo partem illam exponunt, eos neceſſe*

eſt

eſt hîc aliud quærere ſuppoſitum verbi [*dat.*] Sed quodnam illud? *Scriptura*, ſecundum *Eſtium* ipſum, & *Bezam*. *Majorem dat gratiam*, Scriptura ſcil. ſed quia hoc durum, emollire *Beza* conatur, δίδωσι vertendo *offert*: nempe, non à Scripturâ dari gratiam ſciebat, ſed in Scripturâ offerri. *Eſtium* ipſum audite. *Cùm Scriptura ſit verbum Dei, & quod Scriptura promittit, ipſe Deus promittat: rectè hîc ſubintelligitur Deus, utpote tacitè nominatus ibi, dicit Scriptura ſcil. divina.* Quàm operosè! *Toſſanus* vocem *Deus* repetit ex fine verſus quarti, *qui amicus mundi inimicus Dei conſtituitur*. *Thomas Anglicus* apud *Lorinum* viâ magis compendioſâ utitur. *Suppoſitum*, inquit, *non additur, quia in actu verbi intelligitur, ut cùm dicimus, fulgurat, tonat*. *Syrus*, vocem מרן *Dominus noſter ſupplet*. Rectè omnes, ſi ſententiam ſpectes, quæ nobis & illis eadem; *Deum eſſe gratiæ datorem*: ſed ex his verbis per vim extorta, ſi aliud ſuppoſitum verbi δίδωσι quæritur, quam τὸ πνεῦμα, quod proximè præcedit: id ſi ἀπὸ τῦ κοινῦ repetitum, cum verbo δίδωσι conſtruas, eadem ſententia ſponte ad manum Lectoris ſe offeret; ut tam curioſè procul alicunde illam quærere non ſit opus. Primam hanc quæſtiunculam hoc Syllogiſmo concludam.

Spiritus qui in nobis habitans eſt gratiæ autor & largitor eſt Spiritus ſanctus.

De eo Spiritu hîc loquitur Apoſtolus:

Ergo, *De Spiritu ſancto.*

Quæritur ſecundò, quid per φθόνον [*invidiam*] hîc intelligat Apoſtolus. Dubitationem affert quod de Spiritu Sancto loquitur, ut dictum; quem concupiſcere ad invidiam, ad fœdum illum & deteſtandum affectum conſentaneum non eſt. Hinc eruditi quidam Interpretes, offenſionem vocis, benignâ interpretatione lenire conantur, & invidiam hîc pro zelo accipiunt aut zelotypiâ. Spiritus ergo concupiſcit ad invidiam, id eſt, ad zelum vel zelotypiam, eſt Spirtus zelotes, zelotypus. Ita *Eraſmus* in Paraphraſi, *Spiritus Euangelicus qui habitat in vobis, eſt Spiritus zelotypus, & ut ita loquar, invidus*. *Eraſmum Cajetanus* hîc ſecutus videtur, & alii plures; ex noſtris, *Bullingerus*; ex Pontificiis, *Salmero, Gagneius, Lorinus*, &c. ſimiliter exponunt.

Favet

Favet primò, quòd Apoſtolus ſacri conjugii violatam fidem ſupra reprehenderat, cùm *adulteros* vocat: rectè ergo ſubjungit zelotypum eſſe in iis inhabitantem ſpiritum. Secundò, Scriptura ab Apoſtolo citata, quam Interpretes tam anxiè quærunt, hîc ſponte ſe offert, *Exod.* 20. 5. & alibi, ubi Deus zelotes vel zelotypus dicitur. Tertio, Neque vocabulum φθόνος repugnat, quia voci Hebraicæ קִנְאָה reſpondet, quæ & ζῆλον zelum ſignificat, & φθόνον invidiam: quare nihil prohibet invidiam pro zelo ſumi; idque permutatione quâdam ſignificationum, quandoque in uſu Græcis LXX. in Vet. Teſtamento & Apoſtolis ad illorum imitationem in novo: *ut cùm vocis ſcil Hebrææ ſignificationes ſunt plures, Interpretes unam uſurpant pro alterâ.* Quod uno exemplo nunc declarare ſatis ſit. Vox Hebræa דָּבָר plura ſignificat, inter alia hæc tria; Primò eſt *verbum* Græcè, ῥῆμα, λόγος. Secundo, *res* verbo ſignificata, πρᾶγμα. Tertiò, *mandatum*, ἐντολή: Hinc permutatis ſignificationibus, τὸ ῥῆμα uſurpatur, aliâs pro re, *Lucæ* 1. 37. Deo non eſt impoſſibile πᾶν ῥῆμα, *ulla res*, & *cap.* 2. *verſ.* 15. videamus τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονὸς, *rem quæ facta eſt.* Factum iſtud. Aliâs pro mandato, *Rom.* 10. 8. hoc eſt, τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, id eſt, [illegible], *mandatum fidei* quod vobis prædicamus, ut nos aliâs, Deo volente, fuſius oſtendemus. Nihil ergo prohibere videtur, quo minus & hîc, permutatis ſignificationibus, φθόνος ſumatur ἀντὶ τοῦ ζήλου, cùm vox Hebræa קִנְאָה utrumque ſignificet.

Et hæc quidem loci hujus obſcuri & difficilis interpretatio, contemnenda & negligenda non eſt, nec animus tamen in ea acquieſcit: nam durum eſt, quòd φθόνον *invidiam* pro *zelo* accipiant. Hanc enim vocis hujus honeſtam ſignificationem, alienam, & ei affictam eſſe credo; cùm nuſquam in Scripturâ, ſive Novi Teſtamenti, ſive in Veteris Teſtamenti Verſione Græcâ, φθόνος aut Deo attribuatur, aut in bonis numeretur. Imo LXX. Viris inviſum τοῦ φθόνου invidiæ ipſum videtur nomen, cùm nullibi apud eos exſtet. Significationum ergo permutationem fruſtrà hîc obtendas, cùm ab hâc voce prorſus abſtineant, & קִנְאָה illis ſit ζῆλος, aut ζηλοτυπία, *&c.* ſed nunquam φθόνος. Accedit, quod ſignificationum permutatio iſta locum non habet, niſi in ſignificatione principe, aut quæ Interpretibus ſaltem ipſis maximè nota & familiaris,

familiaris, hanc enim pro cæteris aliquando usurpant: ūt vocis דָּבָר frequentissima significatio τὸ ῥῆμα, vel ὁ λόγος, pro cæteris aliquando ponitur. Ita vocis קִנְאָה significatio Græcis notissima est ὁ ζῆλος, quæ juxta hanc regulam, non apud Græcos Interpretes modo, sed in novo etiam Testamento, pro invidia aliquando ponitur: non contrà, pro zelo φθόνος, quæ vox apud illos cùm usitata non sit, quo modo permutatis significationibus, pro aliâ voce illam usurparent.

Nec *Estio* objicienti, *quòd invidia nunquam in bonum accipiatur*, satisfacit *Lorinus*. Respondet enim nec zelotypiam nec furorem per se bonum aliquid sonare, de Deo tamen, remotis imperfectionibus, dici. At contrà, cùm de Deo loquimur, exemplum Scripturæ sequi nos oportet, deinde, nec par est ratio. Nam zelotypia justa esse potest: & furor, in fontibus Hebræis, nihil aliud est quam ira vehemens, quæ cadit in virum probum. Alioqui cùm invidiâ nihil sit turpius, quid ni vitia turpissima quævis Deo attribuimus, imperfectionibus scil. remotis.

Sed neque sententia hîc patitur, ut invidia accipiatur in bonum. Primò, quia invidiam Apostolus graviter supra reprehenderat in fine Capitis præcedentis, vers. 14. & 16. & in principio Capitis hujus, *vers.* 2. zelo nomine usus. Φθόνον autem de quo hîc loquitur, *amari illius zeli* nomine comprehendi, & hîc Apostolum ad illud respicere, quod *vers.* 2 dixerat ζηλῶτε, mihi dubium non est. Deinde, verbis statim sequentibus, Apostolus liberalitatem spiritus, majorem gratiam largientis, invidiæ huic opponit: non sanctæ ergo & piæ invidiæ (ut nonnullis loqui hîc placet) sed malignæ & detestandæ.

Sunt & aliæ duæ invidiæ hujus in meliorem partem acceptæ expositiones, quas obiter indicabo. *Vorstius*, de piâ quâdam Spiritus Dei contentione adversus carnem concupiscentis, interpretatur: *Zuinglius*, de spiritus humani, sed renati piò quodam zelo, *petentis ad invidiam*, id est, *sine intermissione instantis donec pervincat*, id est, impetret & obtineat: sed utraque Interpretatio a stylo Scripturæ, & scopo Apostoli est aliena.

PRÆ-

PRÆLECTIO TERTIA.

CUm ergo Apoſtolus de Spiritu Sancto hîc loquatur, & de invidiâ non ſanctâ, ſed iniquâ & malignâ; *Quæritur* tertiò quem commodum ſenſum habere poſſit, tota hæc ſententia; *Ad invidiam concupiſcit Spiritus*: Abſurdum hoc videtur, & Spiritu DEI Sancto indignum, *concupiſcere ad invidiam.*

Sunt qui vocem *mundi* ſupplent, Spiritus concupiſcit ad invidiam, *mundi* ſcilicet. *Card. Hugo*, & *Author Gloſſæ* hanc expoſitionem inter alias afferunt: nec diſplicet *Paræo.* πρὸς φθόνον, ad invidiam, ſupple τῦ κοσμῦ, ad invidiam *mundi*, inquit *Paræus*, id eſt, *mundi odium.* Quàm licenter! ut mirum ſit, *Paræum* inter probabiles expoſitiones, vel meminiſſe dignatum.

Alii, concupiſcit *ad* invidiam, id eſt, *adverſus* invidiam, quæ ſecunda eſt *Bedæ* expoſitio. *Ad invidiam exſtirpandam*, inquit *Carthuſianus*; nec diſplicet *Gomaro*, quia πρὸς Græcis interdum eſt *contra*, quod probat ex *Epheſ. 6. verſ.* 11. σῆναι πρὸς τὰς μεθοδίας, *Stare adverſus inſidias Diaboli.* Favet quoque *Paræus*, & probat ex Phraſi, μάχεσθαι πρός τινα, *pugnare adverſus aliquem.* Sed & hoc quoque coactum. Præpoſitio πρός interdum eſt *contra*, cum certis vocibus conſtructa; σῆναι, μάχεσθαι: at ἐπιποθεῖν πρὸς τι eſſe concupiſcere *adverſus* aliquid, non facile conceſſerim, nec ullo, ut credo, exemplo probari poteſt.

Adhuc ergo manet apparentis abſurditatis ſpecies quædam, quâ *Bezam* & alios adactos eſſe credo, ut de Spiritu humano locum exponerent; quo magis dignum eſt ad invidiam concupiſcere, quàm Spiritu Dei. *Jacobus Laurentius* dicit ſe hoc argumento maximè motum, ut de ſpiritu humano interpretetur: *quia Phraſis illa, ferri vel deſiderare ad invidam, minus convenit Spiritui Sancto, nec uſpiam*, inquit, *quod ſciam, de DEO in Scripturis enuntiatur.* At quid ſi neque hîc enuntiatur, ſed potius contrarium.

Hîc ergo alterâ illâ præceptione Grammaticâ, nobis fortaſſe eſt uſus, *ut rectè pronuntiemus*, inter alias fallacias, una eſt ab *ac-*

 centu,

centu, quæ fallit ob alium atque alium pronuntiandi modum: hanc clariſſimus *Molinæus* ad riſum potius quàm ad fraudem comparatam eſſe dicit. At ego viros eruditos, hoc tàm ridiculo Sophiſmate, hîc deceptos eſſe video. Unum eſt genus captionis hujus, (ait *Fonſeca inſtitut. dial. lib.* 8. *cap.* 8.) quod fallit ob diverſitatem pronunciationis *aſſertoriæ & interrogatoriæ*; Cùm affirmatè pronuntias interrogationem, quæ vim fortaſſis habet negationis. Rei tantillæ neglectus haud parum difficultatis hîc attulit: nam hæc verba, *ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitavit in nobis?* non affirmatè legenda ſunt, ſed cum interrogatione, cujus nota, ἀπο τῦ κοινῦ, repetita ſententiam planam reddit & perſpicuam. Ad invidiam *concupiſcit ne?* Nihil minus. Interrogatio autem vim habet negationis: nam interrogatio negans, ut ſatis opinor noſtis, affirmat: affirmans, negat. Non eſt ergo quòd verearis, ne Spiritus Sanctus concupiſcat ad invidiam, neque enim Apoſtolus hoc affirmat, ſed negat, idque vehementer: quia vehemens & pathetica eſt negatio per interrogationem expreſſa. Et ita cum interrogatione legunt *Beda, Card. Hugo, Lyranus, Carthuſianus:* ex noſtris, *Calvinus, Junius, Piſcator:* & veram eſſe lectionem non dubito.

Quartò. Locutionem hanc & ratiam expendamus, ἐπιποθεῖν πρὸς φθόνον, *concupiſcere ad invidiam. Beza* vertit, *ad invidiam fertur. Caſtalio, Ad invidam propenſus eſt.* Ut ἐπιποθεῖν non aliud ſit quàm ὁρμᾶσθαι, *impetu ferri.* An vero ἐπιποθεῖν πρός τινα ſit impetu quodam in ea ferri dubito, & hujuſmodi locutionis exemplum aliquod deſidero. Propriam ergo *cupiendi* vel *concupiſcendi* ſignificationem retineo & exiſtimo, πρὸς φθόνον eodem ſenſu hîc dici quo alias apud Græcos πρὸς ὀργὴν, *ad iram*, id eſt iracundè vel per iram: πρὸς ἔχθραν ad inimicitiam, id eſt, inimicè vel inimico animo. Ita hîc πρὸς φθόνον ad invidiam, id eſt, per invidiam, invidè, vel invido animo. Quemadmodum apud Hebræos Præpoſitiuncula ל Periphraſin facit Adverbii, ut לְבֶטַח ad ſecuritatem, id eſt, ſecurè confidenter; ita Syrus, בטנה in invidiâ vel per invidiam. Rectè *Sa*, *ad* pro *per*; ad invidiam, id eſt, per invidiam: & in noſtrâ verſione, doctè in margine, *envi-ouſly*. Invidè autem concupiſcit vel invido animo, qui ea concupiſcit quæ aliis invideat, ſibi integra reſerve, aliis impertire illa,

aut

aut cum iis communicare nolit. Ut ſenſus ſit, num Spiritus ille qui habitavit vel habitat in nobis, invido animo concupiſcit? Num invidus & malignus eſt ille Spiritus? Nihil minus: ſed benignus & liberalis, ut ſequitur, *majorem dat gratiam.* Vel potiùs, *concupiſcit*, id eſt, concupiſcere facit. Hiccine fructus aut opus Spiritus in nobis habitantis; invido animo concupiſcere? Ita *Beda, Non utique bonus ille Spiritus invidiæ vitium in vobis operatur.* Lyranus, *Non facit concupiſcere ad invidiam.* Carthuſianus, *Non movet ad invidiam.* Ut Metonymica ſit locutio: ſic *Mathæi* 10. 20. *Non vos eſtis loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri is eſt qui loquitur in vobis:* id eſt, loqui facit. Et *Rom.* 8. 26. *Spiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis ineffabilibus*, id eſt, interpellare facit. Ita hîc num *concupiſcit*, id eſt, concupiſcere facit: Hoccine opus aut fructus Spiritus?

Sed viri doctiſſimi novam locutionis hujus expoſitionem expen- *Heinſii*
damus. Is ſpiritum hîc intelligit humanum, πρὸς φθόνον ſcil. τῦ Θεῦ, ellipticè, ut ὀργὴν dixit *Lucas* 21. 23. ellipticè pro irâ Dei. φθόνῳ verò hîc eſt παροργισμὸς, irritatio vel ad iram provocatio. Senſus ergo, Spiritus qui eſt in homine concupiſcit ad irritandum Deum. Hæc ille in exercitationibus fuſè perſequitur: doctè, more ſuo, & facundè. Sed primo, Nominis Dei ellipſis hîc eſt dura: ὀργὴν ellipticè dici à *Lucâ* fateor pro irâ Dei; ſed ejuſmodi ellipſes certis loquendi formulis & vocibus ſunt peculiares; ut φθόνῳ ellipticè ita dicatur, neſcio an uſus ferat. Deinde, & illud durum quod πρὸς φθόνον interpretetur πρὸς παροργισμὸν κυρίε, hujuſmodi locutionis neſcio an exemplum apud ullum Authorem invenias. Sed addit, φθόνον more Hebræorum eſſe קִנְאָה quemadmodum ab illis accipitur cum DEI irâ קנאת יהוה φθόνῳ κυρίε vel παροργισμὸς κυρίε dicitur. Sed à quibus hoc dicitur, & ubi? Scio à Græcis Interpretibus nuſquam: an alios Helleniſtas intelligat, neſcio. Verbum קנא ſemel illi παροργίζειν reddunt, *Pſal.* 106. 15. Sed an inde ſequitur nomen קנאה illis eſſe παροργισμὸν? Nihil minus: Non idem ſemper verbi & nominis verbalis eſt uſus. Tota hæc Grammatica ratiocinatio, ſignificationum permutatione illâ nititur, quæ alias ſuum uſum habet, ut dixi: Hîc nullum, quia vox Hebræa קנאה παροργισμὸν nunquam ſignificat, nec ita à Græcis redditur: φθόνον

 ſignificat

ſignificat quidem, ſed Græci Interpretes nuſquam ita vocem Hebræam reddunt.

Quintò, Verba iſta conſideremus, *Qui habitavit in nobis.* Vulgatus Interpres, *Qui habitat in vobis:* Sed ſenſus eodem recidit. *Mariana, In Græco*, inquit, *habitavit ante, non nunc, quia adulteri.* Idem annotavit hic *Cajetanus* & alii: ſed nimis hoc argutum. Satis commodè Vulgatus reddit, in præſenti *habitat.* Nam *Aoriſtus* Græcus (ut Participium Pahul Hebræorum) actum præteritum ſignificat in tempus præſens continuatum: quæ obſervatio eſt Grammatica non inutilis, cujus & *Eſtius* hîc meminit; ut *Marci* 16. 19. & *Heb.* 1. 3. ἐκάθισε *Sedit ad dextram DEI*, & adhuc ſedet: Ita hîc, κατῴκησε *habitavit*, & adhuc habitat: habitationem, domicilium collocavit, delegit. Sic idem verbum κατῴκησε uſurpatur, *Math.* 2. 23. & 4. 13.

In Græco autem eſt ἐν ἡμῖν, *in nobis:* Syrus בנן num Apoſtolus ergo adulteris illis annumerandus? Eſt ἀνακοίνωσις, communicatio Rhetorica, (ut *Heb.* 2. 3. 1 *Pet.* 4. 3. *&c.*) quâ Apoſtolus, ut *Beza* hîc notavit, in eodem albo ſe recenſet ut minus acerba ſit reprehenſio

Sed dimcultas manet, habitare Spiritum in adulteris. Reſpondet *Carthuſianus*, *Inter illos ad quos Apoſtolus hîc ſcribit. Alii*, inquit, *erant carnales, alii ſpirituales. Quemadmodum inter Corinthios, quibus nihil deeſſet in ullo dono*, 1 Cor. 1. 7. *Et quibus non ut ſpiritualibus loquendum erat, ſed ut carnalibus*, 3. 1. *diverſa ad diverſos referenda.* Sed addo etiam in ſpiritualibus carnem concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritum adverſus carnem. Sunt etiam in renatis æmulationis pravæ & invidiæ reliquiæ quædam, quæ in pravos actus erumpunt, & in defectionem à Deo tenderent niſi à Spiritu domentur. Deinde in carnalibus habitare Spiritum, dici nihil prohibet; non κατ' ἀλήθειαν, ſed κατὰ δόξαν, illorum opinione quâdam & gloriatione: quia ad Hebræos ſcribit, qui de Spiritus inhabitatione, ut populi Dei privilegio, gloriabantur. Senſus ergo eſt planus. Hiccine fructus inhabitantis Spiritus? Quem in vobis ſaltem habitare adeo vos magnificè jactatis. Per conceſſionem dictum. Ut ſupra, *Cap.* 2. *verſ.* 24. *Ex operibus juſtificatur homo, & non*

ex

ἐκ πίστεως μόνον, *ex fide tantùm*, ut vana fert opinio veſtra, ut vos jactatis. Alioqui Apoſtolus nec juſtificationem inter fidem & opera hîc partitur, nec *fidem, quæ eſt ſola*, aut verba hæc ſignificant; aut Apoſtoli ſententia patitur, ut de eâ hîc loquatur, niſi per conceſſionem, ex vanâ eorum opinione, adverſus quos hîc diſputat. Sed de hoc loco aliàs.

Sextò, Hæc verba explicanda reſtant, μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, ubi primò particula δὲ, quæ ſæpius eſt *continuativa*, hîc ut aliàs interdum eſt *adverſativa*, pro ἀλλὰ vel ἀλλάγε, ut hîc *Calvinus* monet, & ex eo *Piſcator*. Vertendum igitur *ſed* vel *imò*, aut cum *Calvino quin* majorem dat gratiam. Eſt enim hîc Antitheſis manifeſta, quâ Spiritus ſumma liberalitas invidiæ malignitati opponitur.

Χάρις reſpondet voci Hebraicæ חן & gratiam, favorem ſignificat, donum item gratuitum gratiam quoque & favorem concilians. Gratiam verò dat τὸ πνεῦμα, *Spiritus, apud Deum & homines*, ut dicitur *Lucæ* 2. 52. dum favore ſuo dignatur, & ea beneficia gratis confert, quæ gratiam & favorem hominum concilient, favoris Divini ſint teſtimonia & argumenta: quæ hominibus gratos faciant, Deo gratos eſſe doceant & teſtentur.

Nonnihil obſcuritatis habet quod Apoſtolus ait *majorem gratiam* dare. Interpretes variant. Alii majorem gratiam ſuperlativè exponunt; *Bullingerus*, gratiam uberrimam: *Jacobus Laurentius*, inſignem & ſingularem. Sed in comparatione eſt vis quædam & emphaſis, ut audietis.

Alii ergo comparativè exponunt, quod magis placet, ſed variè: *Beza* & *Gomarus* Scripturam eſſe putant, quæ gratiam majorem dare hîc dicatur. Geminum nempe Scripturæ beneficium Apoſtoli verbis hîc commemorari; Unum, quòd invidiam Spiritui adverſam eſſe admoneat. *Alterum & majus beneficium*, inquit *Gomarus*, *Scriptura præſtat* (& hoc eſt gratiam majorem dare) *dum humilibus ab invidiâ alienis DEI gratiam pollicetur*. Beza, *Humani ingenii conditionem* quâ fertur ad invidiam, *non fruſtra prædicat Scriptura, ſed viciſſim majoris cujuſdam boni ſpem nobis facit* (& hoc illi eſt gratiam dare majorem) *Cùm* inquit, *viz. DEUM ſuperbis reſiſtere: humilibus autem gratiâ ſuâ opitulari*, quàm coacta hæc

&

& aliena ! Spiritus ſine dubio eſt qui gratiam dat majorem, ut ſupra à nobis probatum eſt, & alii plerique omnes agnoſcunt.

Sed & hi quoque variant. *Beda* majorem, quam amicitiam mundi. *Illa, terrena ad tempus, ille, gaudium ſempiternum. Bedam* plures ſequuntur, *Lyranus, Carthuſianus*, &c. Ex noſtris, *Toſſanus*. Sed iniqua videtur comparatio : quaſi mundus gratiam daret, ſed Spiritus majorem. At bona ſaltem, dat mundus : majorem Spiritus. Sanè. Sed quàm hoc dilutum, cùm ea quæ mundus dat & Spiritus, invicem comparantur, nihil aliud dicere, quàm bona dare utrumque, ſed majora Spiritum. Longè aliud ſibi Apoſtolus hîc propoſuit.

Cajetanus, Majorem, inquit, *gratiam dicit relativè, ad amicos Dei, quia procul dubio majorem dat quàm mereantur.* Tantillum ne ergo gratiæ merentur? ſcilicet. *Emmanuel Sa, Majorem gratiam dat ſcil. DEUS ad reſiſtendum tentationibus, quaſi dicat, Major eſt vis gratiæ quàm tentationum. Bullingerus Eraſmum* ferè ſequutus, *ut eximium quendam amorem exigit, ita gratiam dat majorem. Difficillimum eſt præſtare quod exigit, ſed in hoc ipſum largitur vires, ut facile poſſimus.* Vera hæc quidem, ſed parum contentanea aut verbis Apoſtoli, aut ſcopo ; qui alius non videtur, quam ſummam Spiritus beneficentiam, invidiæ malignitati opponere.

Ut comparatio ergo ſit inter homogenea, nec Spiritu Sancto indigna, *gratiam cum gratiâ* comparari hîc dicamus, cum eâ ſcil. quam antea dedit. Ut ſenſus ſit, *Majorem dat gratium, non ſemel* gratiam ei dediſſe eſt ſatis, ſed indies dat majorem, priora beneficia poſterioribus cumulando, quod immenſæ benignitatis & liberalitatis eſt argumentum. Ita *Calvino*. *Gratiam dare majorem eſt magis ac magis novis ſubinde donis locupletare. Eſtius* hîc ut aliâs ſæpè *Calvinum* imitatus videtur : *Majorem*, inquit, *dat gratiam dum auget gratiam prius datam, ac nova ſubinde gratiæ munera prioribus adjicit.*

Et ita hujus Parentheſis, cujus difficultas diu multumque nos detinuit, tandem aliquando *obſtantia rumpere clauſtra*, divinâ benignitate eſt conceſſum.

PRÆ-

PRÆLECTIO QUARTA.

NUnc teſtimonium citatum, *DEUS reſiſtit ſuperbis, humilibus verò dat gratiam*, cum loco parallelo unde ſumptum eſt, conferamus. Et primò Quæritur, unde hæc verba citentur, *quia* eadem ſententia totidem verbis, non alibi in Scripturâ exſtare videtur, niſi apud *Petrum*, *1. Epiſt.* 5. 5. Hinc nonnulli ſuſpicantur inde eſſe ſumptum: nec alius in margine locus parallelus in quibuſdam editionibus annotatur, ut in Verſione Latinâ *Caſtalionis*, & Italicâ *Deodati*, ANNO 1607. *Mariana* in Scholiis: *Unde hoc citatur?* 1 Pet. 5. 5. *Totidem verba ſunt, an inde ſumpſit Jacobus?* Sed quid ſi ante *Petrum* ſcripſerit? quod veriſimile videtur *Lorino*. Certè, priorem ſcripſiſſe *Petrum*, non adeo eſt certum: nec aliam quàm Veteris Teſtamenti Scripturam ab Apoſtolis citari, jam dictum. *In Prolegom. in 1 Ioan. c. 3.*

Calvinus, nihil aliud continere ait, quàm quod habetur *Pſa.* 18. *verſu* 28. *Quia tu populum afflictum ſervas, oculos verò elatos dejicis.* Alii ſumptum malint ex *Proverbiorum* Cap. 29. verſu 23. *Elatio hominis eum deprimit, & humilis Spiritu tenebit gloriam.*

Sed in re minimè dubia hærent. Locum Veteris Teſtamenti ab Apoſtolo hîc citatum jam olim *Beda* indicaverat ex *Proverbiorum* capite 3. verſ. 34 juxta antiquam Tranſlationem Latinam, ex Græcâ Verſione LXX. Seniorum expreſſam, ubi hæc Apoſtoli ſententia totidem verbis habetur.

Apoſtoli enim cùm Græcè ſcriberent, teſtimonia ferè allegant ex Verſione Græcâ, publicè tum recepta, cunctiſque nota & expoſita; Græcis converſis, & Judæis Helleniſtis. In citationibus verò, ſententiæ magis rationem habent, & ſenſus, quàm verborum; quibus iiſdem ferè utuntur, atque Græci Interpretes, quanquam à fontibus Hebræis non parum illa diſcrepent, ubi ſententia & argumentum patitur: alioqui à verſione Græcâ recedunt, quod uno & altero exemplo obiter oſtendam.

Zachariæ cap. 13. 7. תְּפוּצֶינָה הַצֹּאן *Diſpergentur oves.* LXX. ἐκπάσατε, *avellite*, majori licentiâ quàm ut tolerari debuit: Correxit

Correxit ergo *Mathæus*, cap. 26. 31. διασκορπισθήσεται *dispergentur*, ut in Hebræo.

Ejusdem Prophetæ *Zachar.* 12. 10. *Respicient ad me quem* דָּקָרוּ *transfixerunt*: LXX. κατωρχήσαντο *saltarunt*. Similitudine literarum decepti legerunt רקדו RAQADHU pro דקרו DAQARU & ita insignem de Christo Prophetiam depravarunt, quàm Judæi ipsi de Christo interpretantur, ut *A. Ezra* in Commentariis de Messiâ filio *Josephi*: errore non ferendo, quem *Ioannes* Apostolus correxit, *Ioannis* 19. 37. ubi hunc locum citans, vocem Hebræam Græcè reddit ἐξεκέντησαν, *transfixerunt*. Conferte *Apoc.* 1. 7.

Alias verò, cùm Græcos sequuti, verba allegant à fontibus Hebræis multum discrepantia, sententiis tamen congruunt, sensumque verba illa admittunt, qui Apostoli citantis proposito ita conducit, ut à scopo Prophetæ citati non aberret. Quod uno exemplo sed illustri ostendam ex *Psal.* 40. 7. ubi in Hebræo codice אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי *Aures fodisti mihi*: Septuaginta ita reddunt, σῶμα κατηρτίσω μοι, *corpus aptasti mihi*, quæ verba Apostolus allegat, *Heb.* 10. *versu* 5. nec alias in verbis discrepantia est major: sensus tamen convenit. Locutio enim sumpta videtur, à statuariis vel à plastis; qui ubi reliquum corpus ex argilla finxerint, cùm ad aures ventum est fossione est opus. Sunt enim aures quasi fossulæ quædam, quæ fodiendo & excavando formantur. Fodisti ergo *aures*, id est, formasti. Aurium hæc formatura totius corporis fabricam non tàm significat per Synecdochen, (quæ nimis hîc dura esset) quàm inde per consequentiam necessariam illa infertur. Sed de hoc loco aliâs, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ ut Apostoli dicto utar; ad cujus sententiam nunc redeo ex Proverbiis citatam.

Proverb. 3. 34.	*Jacobi* 4. 5.
אִם לַלֵּצִים הוּא יָלִיץ וְלַעֲנָוִים יִתֵּן חֵן:	Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.
Si illusoribus ipse illudit, mansuetis dabit gratiam.	*Deus resistit superbis, humilibus verò dat gratiam.*

Ubi sensus congruunt: sed verborum est discrepantia aliqua, in

in priori præsertim sententiæ membro ; cujusmodi ea sit nunc videamus.

Quos *Salomon* לְצִים irrisores, illusores vocat, Græci Interpretes, quorum hîc versionem probat Apostolus, ὑπερηφάνους superbos reddunt. Verbum לוּץ primò est eloquentem esse & facundum ; hinc מֵלִיץ Interpres quem facundum esse oportet. Secundo irridere, & לְצִים irrisores, qui dicta & facta sequius interpretantur, idque non sine caninâ quâdam eloquentiâ, quâ homines, non alioqui indiserti, in aliorum contumeliam & contemptum abutuntur. לֵץ Græcè est χλευασὴς propriè, & ita *Aquila* reddit *Psalmo* 1. *versu* 1. Sed LXX. Viris vocabulum hoc difficile est visum, nec in eo vertendo satis sibi constant, variis vocibus Græcis, & generalibus, usi ; cùm propria, ut credo, non occurreret, quæ ipsis satisfaceret. Illi ergo, לְצִים alias, λοιμὸς reddunt, id est, pestes : alias, ἀδίκους injustos, ἀνόμους, iniquos, ἀκολάστους, luxuriosos & profligatos homines : sed nusquam magis commodè, quàm hoc in loco ὑπερηφάνους, *Superbos*. Irrisores utique homines sunt superbi & arrogantes, cæteros præ se summo cum fastu nihili facientes ; qui Deum, homines ; divina, humana omnia rident & contemnunt. Judicio sunto Rabbini ipsi.

Kimchi dicit homines esse מִתְגָּאִים id est, se efferentes, arrogantes : in Commentario in *Psalmum* primum. *A. Ezra* ibidem, ad hunc ipsum locum respiciens, opponi eos dicit לָעֲנָוִים mansuetis, id est, eo Interprete, לבּוּשנים verecundis & modestis, ut superbiam modestiæ & verecundiæ oppositam, significaret.

Sed ex sacris literis hoc ipsum confirmemus. *Superbi* הליצוני *illuserunt mihi*, Psal. 119. 51. & adhuc magis disertè. *Salomon* ipse, *Proverb.* cap. 21.24. *Superbi arrogantis* לֵץ שְׁמוֹ *irrisor est nomen*. Cùm Septuaginta ergo superbum dicunt pro irrisore, nihil aliud quàm in nominati locum, nomen ipsum substituunt.

Illusoribus illudit, quis ? Idem, qui mansuetis dat gratiam ; JEHOVA sine dubio, cujus proximè meminit, *versu* 33. Deus ne ergo illudit ? Durum hoc videri posset ; quod Rabbinos nonnullos ad alienas, ut credo, interpretationes adegit. *Raschi*, *Si illusoribus illudit*, *qui illusoribus adhæret eosque sequitur*, *tan-*

dem illusor ipse evadit. A. Ezra nectit cum fine versus præcedentis, *Habitaculo justorum benedicet,* JEHOVA scil. *modo justi illi illusoribus illudant, id est, reprehendant & moneant ut ab illudendo abstineant.* Sed nimis hæc sunt aliena. Quanto satius, quæ ἀνθρωποπαθῶς dicta, θεοπρεπῶς intelligere, cum eodem *A. Ezra* in secundâ expositione, quam ego, cum doctissimo *Mercero,* rectam esse censeo. *Si illusoribus illudit mercedem illis illusionis sua rependens.* Sed quænam illa? illusio, derisio; ut Deum & homines deridebant, ipsi viciſſim derisi.

Quod Rabbi *Levi* magis perspicuè exponit, *illudendos & irridendos aliis præbet, facit ut aliis sint ludibrio; ubi in calamitatem inciderint.* Ut *Proverb.* 1. 26, 27. *Ego quoque in calamitate vestrâ ridebo, subsannabo cùm venerit id quod expavescitis,* &c. Et *Psal.* 2. *Qui sedet in Cœlis ridet.* Quomodo? *In furore conturbando, virgâ ferreâ conterendo,* &c. Figurata ergo hæc loquutio in Deo notat primò, odium & contemptum; Secundò, potentiam quâ eos quasi ridendo perdit: in ipsis verò; quod magnis ausis excidant, & in calamitatem incidant, omnium ludibrio & contemptui exponi.

Chaldæus Paraphrastes, ut figuratam loquutionem vitaret, יסחף reddit, id est, *subvertet.* Sic Græci, ἀντιτάσσεται *obsistit, adversatur:* Paulo liberius utrique sed neutri à scopo *Salomonis* aberrant. Deus enim superbis eorum conatibus obsistendo subvertit & irridendos præbet. Quos Deus autem perdit, & ludibrio exponit, illorum utique est hostis & adversarius: in Græcâ ergo versione nihil dicitur, quod non ex verbis *Salomonis* evidenter consequatur.

In altero membro nihil est difficultatis. Qui *mansueti* iidem & *humiles.* Ut Deus superbos illusores illos contemptui omnium & ludibrio exponit; ita contra mansuetos favore ipse suo dignatur, hominumque favorem iis conciliat: beneficia illa in eos conferendo quæ hominibus gratos illos faciant, & sibi gratos esse ostendant, ut dictum. *Est* ii Pontificii quidem, sed eruditi & judicioſi Interpretis, verba hîc addam. Is ergo, sensu convenire Versionem Græcam cum veritate Hebraicâ, his verbis docet. *Illusores,* inquit, *sive derisores iidem sunt qui superbi. Inde enim quis alium irridet, unde se illo meliorem reputat. Mansueti*

ſueti quoque & humiles iidem ferè in Scripturis intelliguntur. Reſiſtit autem DEUS ſuperbis dum illos humiliat, & humiliando contemptibiles reddit, quod proprium eſt deridentis. Adjiciam verba *Ambroſii* in *Pſal.* 119. *Tanquam ſuæ contumeliæ propulſator, veluti quoddam ſuſcepit adverſus ſuperbiam ſpeciale certamen: tanquam dicat, Meus iſte adverſarius eſt qui me laceſſit, mihi debetur iſta congreſſio.*

PRÆLECTIO QUINTA.

ULtimo loco reſtat ut teſtimonii citati vim & uſum oſtendam, idque ex ſcopo Apoſtoli, & totius ſententiæ analyſi.

In primis ſex verſibus hujus Capitis eſt gravis reprehenſio, cujus duo ſunt Capita; Primo lites in Hebræis & bella reprehendit: deinde, voluptates ſive cupiditates, unde lites & bella velut fontibus manant.

Cupiditas autem quam hic Apoſtolus imprimis reprehendit, eſt æmulatio prava & invidia, quam ſupra ζῆλον πικρὸν nominaverat, *Cap.* 3. 14. nam ut vox Hebræa קִנְאָה & zelum ſignificat & invidiam: ζῆλος ei in Græca verſione LXX. virorum reſpondens, invidiam quoque ſignificat, *Eccleſ.* 4. 4. & 9. 6. *&c.* & in Novo Teſtamento ad illorum imitationem, *Act.* 5. 17. & 13. 45. Apoſtolus autem invidiæ meminit hic *verſ.* 5. qui cum ſecundo eſt conferendus; ubi *Eraſmus* & *Beza* legunt φθονεῖτε καὶ ζηλοῦτε; neque hanc *Eraſmi* lectionem improbo: ſed & altera, magiſque recepta, ſenſum admittit non incommodum, φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, *occiditis* & *invidetis*; ita enim vertendum eſſe cenſeo, ſi hanc lectionem ſequaris. Et omnino aut φθονεῖτε legendum cum *Eraſmo*: aut verbum ζηλοῦτε eundem ſenſum habebit, & vertendum *invidetis*, ut *Act.* 7. 9. & 17. 5. & verbum קנא *Geneſ.* 26. 15. & 37. 11. ubi LXX. reddunt ζηλόω, *invideo*.

Cupiditas ergo quem Apoſtolus hic reprehendit eſt ζῆλος ſive φθόνος, æmulatio prava, invidia, tanquam litium & bellorum fontem; ut alias ζῆλος καὶ ἔρις, invidia & contentio, tanquam fons

& rivus junguntur, 1 *Cor.* 3. 3. & *Rom.* 13. 13. & proprie quidem æmulatio & invidia, ita fere distinguuntur; ut æmulatio, animi ægritudo sit ex eo concepta, si bonum concupieris quo alius potiatur, ipse careas: invidia vero, ex eo quod alteri sit bene, non quod tibi noceat, aut inde afficiaris incommodo; sed quod ægre feras bono illum frui. ζῆλος hic in malum sumitur & laxiori notione, ut invidiam quoque complectatur: & nihil aliud videtur, quam animi ægritudo ex bonis alienis concepta, quæ tu concupiscas, solumque te dignum existimes qui potiaris, alios indignos; & ex superbia nascitur. Nam Apostolo hic negotium est cum hominibus arrogantibus & superbis, qui opum honorum, *&c.* cupiditate flagrantes, solos se iis dignos esse putabant: aliis, ut indignis invidebant; hinc, bella & lites. Reprehensionis suæ (cujus hæc sunt Capita) Apostolus rationes affert tres. Prima *vers.* 2. & 3. quod frustra se fatigent, dum multa concupiscunt & sequuntur, quæ assequantur nunquam. *Concupiscitis & non habetis*, & confirmat, quia cupiditatibus abrepti, pugnando, bellando, pessimis artibus, obtinere contendunt, quod *melioribus*, oportebat; precibus Deum implorando, quarum neglectum & abusum *obiter quoq; reprehendit.*

Sed quamvis voti compotes cupitis potiantur (quæ secunda est ratio *ver.* 4.) non sine summo illorum & scelere illud accidit & pernicie: nam scelus & pernicies, culpa & pœna, in hac ratione una junguntur. In mundi enim voluptates dum penitus se immergunt, adulterorum more, conjugii spiritualis fidem violant: Deoque deserto, inimicitias cum eo suscipiunt; ut mundo, velut novo amico & sponso, infami connubio socientur: sed ita Deum illi adversarium & inimicum experiuntur. *Adulteri & adulteræ*, ait Apostolus *vers.* 4. *An nescitis amicitiam mundi esse inimicitiam cum Deo?* His verbis crimen eorum & culpam significavit: pœnam vero, cum addit; *quicunq; voluerit esse amicus mundi Dei inimicus constituitur*, Argumento quidem à conjugatis; sed nomina abstracta culpam in primis significare existimo: concreta, pœnam: quæ alias inter se sunt nexæ & jugatæ, sed hic pœna in ipsâ culpâ penitus implicata insidet. Qui Deo enim adversatur, gravem utique illum adversarium sentiet: non damno suo & pernicie minore, quam scelere & culpâ.

Adulterium

Adulteriam hic ſpirituale cum *Calvino* & aliis intelligo. In nomine *amici*, videtur eſſe alluſio ad vocem Hebræam רוֵר, quæ & *amicum* ſignificat, & *ſponſum*. *Mundus* hic non homines carnales & non renatos ſignificat: ſed mundi delitias; opes, honores, bona denique mundana & terrena quævis.

Rationem hanc Apoſtolus confirmat, celebri illo *Salomonis* dicto, *Deus reſiſtit ſuperbis, humilibus vero dat gratiam*: quo, duo vult probare. Primo mundi amicum Dei inimicum conſtitui, quod dixerat in fine verſus quarti. Sed quo Argumento? Quia, *Deus reſiſtit ſuperbis*. Non ſequitur, inquies: quia non omnis mundi amicus, eſt ſuperbus. Fateor: nam mundi amicos faciunt cupiditates quævis. Sed hic Apoſtolus de iis loquitur, qui mundi amicitiis implicantur per invidiam & æmulationem ex ſuperbiâ natam: nam cum iis hic Apoſtolo eſt negotium, ut dictum, Syllogiſmus eſto.

Superborum Deus eſt adverſarius & hoſtis, quia iis reſiſtit.

Quos æmulatio & invidia mundi amicos faciunt, illi ſunt ſuperbi.

Illorum ergo Deus eſt adverſarius, Deus illis reſiſtit.

Alterum, quod hoc *Salomonis* dicto probare inſtituit Apoſtolus, eſt Deum, ut inimicum gravem & infeſtum, ita ſponſum & amicum eſſe benignum & liberalem. Sed ubi hoc Apoſtolus dixit? verſu quinto, in ſententia parentheſi incluſa; ubi eſt tertia ratio, quæ priorem illuſtrat & confirmat. Mundi amicum Dei inimicum conſtitui jam dixerat, adeoque illos mundi amicos, adulteros, ſuperbos, invidos, Deum adverſarium & inimicum experiri, infeſtum ſine dubio, & gravem: at contra, ſponſum & amicum (*verſ.* 5.) non minus liberalem & beneficum; qui in fide conjugali & officio manent, qui ſubmiſſè & modeſtè ſe gerunt, qui turbidos illos animorum motus; ſuperbiam, invidiam, æmulationem cohibent. Hoc illud eſt quod dicit Apoſtolus, *ad invidiam concupiſcit ne ſpiritus qui habitavit in nobis? Imo majorem dat gratiam. Ubi ſpiritus inhabitantis* meminit, ut conjugii ſpiritualis myſterium ſignificaret, quod nihil aliud eſt quam unio noſtri cum Deo: unio illa, in ſpiritus inhabitatione eſt poſita. Si ſpiritus tuus in Titio & Sempronio, nonne arctiſſima inter te & illos eſſet unio: ita, arctiſſimam inter Deum & nos unionem

nionem esse oportet, si Dei Spiritus in nobis habitat. Deinde hæc illa est populi Dei prærogativa, de quâ Hebræi ad quos scribit Apostolus in primis gloriabantur quod Deus in medio ipsorum habitaret; hunc ergo spiritum beneficum & liberalem esse Apostolus docet, cum ait, *majorem illum gratiam dare*, id est, magis magisque favore suo dignari, novis subinde donis locupletare, priora posterioribus summa liberalitate cumulando; quam invidiæ, malignitati opponit, cum ait, *concupiscit ne ad invidiam spiritus qui habitavit in nobis:* ut hac spiritus beneficentiâ, à maligna æmulatione & invidiâ illos revocaret. Num invido & maligno animo concupiscere illos decet, qui spiritus tam benigni & liberalis se templa esse profitentur, in quibus suam ille habitationem collocavit? Frustra spiritum habitare jactant, ubi invidia & æmulatio vigent, nihil magis spiritus naturæ repugnat, qui *majorem gratiam largiendo*, se benignum & liberalem esse ostendit. Quod his *Salomonis* verbis Apostolus confirmat, *humilibus dat gratiam.*

Humilitatis antea Apostolus non diserte meminit: sed satis illa ex oppositione intelligitur; quia invidis illis superbis & malignis, mansueti & humiles opponuntur: quod ex spiritus quoque inhabitatione non obscure colligitur, juxta celebrem illam *Isaiæ* sententiam, Hebræis sine dubio, ad quos Apostolus hic scribit, familiarem. *Sic ait sublimis & elatus inhabitans æternitatem, & cum eo qui attritus, & demissus spiritu habito* Isa. 57. 15.

Salomonis inquies verba probant gratiam dare: non gratiam majorem. Imo, gratiam majorem: quia humilitatis donum gratis jam dederat, cum humilibus ergo dat gratiam; majorem utique gratiam superaddit.

Quod vero hinc *Estius*, quia *Deus gratiam dat humilibus:* vanum & superbum de meritis errorem confirmari dicat, in eo erroris efficaciam cernimus: dum ex dono quod gratis ex liberalitate datur, mercedem debitam belle & festivè colligit, quæ reddatur ex justitiâ. Sed urget, *nam Deus* inquit *resistit superbis*, quia ita meretur eorum superbia, concedo. Quid tibi hinc lucri? *Ergo etiam humilibus dat gratiam, quia ita meretur eorum humilitas.* Apage sophisticam, & inauditam superbiam; humilitatis nomine, nec sine multiplici contradictione, involutam. Ut Deus humilitatis donum, ex liberalitate, non ex justitia gratis dedit,

dedit, non diffitente *Estio* : ita, quod humilibus gratiam majorem addit, justitiæ non est, sed liberalitatis ejusdem, quæ eo uberior, quo effusior est gratiæ largitio. Quasi gratia cumulata, non esset gratia. Quod si gratia, non ex operibus, non ex meritis; *alioqui gratia, non esset gratia.* Humilitatis autem merito, tanquam jure debitam arrogare cumulatam gratiam; humilitatis non est, sed intolerabilis superbiæ. Quam vero inanis sit ista consequentia, *Mala opera sunt meritoria, ergo & bona*; alias à nobis dictum? satisque convinceret, quos non fascinasset vanissimus error, vel una illa Apostoli sententia, *stipendum peccati est mors, sed donum Dei gratuitum est vita æterna.* Non bonorum operum stipendium, quod antithesis secundum mercenariorum logicam postularet.

Rom. 11. 6.

In tract. de merito bonorum operum Rom. 6. 23.

Ut hunc ergo Logicæ abusum & vanam *Estii* de meritis sophisticam, merito aspernamur & rejicimus: ita usum Logicæ legittimum in *Dionys. Carthusiano* probamus & laudamus. Is Spiritus Sancti divinitatem bene hinc colligit: quia quod *Salomon*, Jehovam esse ait, *qui gratiam dat mansuetis*: id Apostolus de Spiritu Sancto in nobis habitante, & *gratiam majorem largiente*, dictum interpretatur. Argumento firmo, sed ob loci difficultatem, nescio, an satis, ad protervum Hæreticum convincendum, idoneo. Ex dictis satis apparet, verba quæ parenthesi inclusa esse diximus; citationem illustrare, mentem & consilium Apostoli aperire, viam denique parare ad illustrem hanc sententiam: de quâ *Calvinus*, *Conjicio*, inquit, *hanc quasi proverbialem sententiam tunc fuisse tritam inter Judæos.* Imo res est, non conjectura. Revera est proverbialis *Salomonis* sententia, inter Hebræos trita sine dubio, & notissima; quâ olim *Salomon*, ut hic *Jacobus*, est usus; adversus homines contentiosos & invidos, *Prov.* 3. 30. *Ne contendito cum ullo homine immerito*, vers. 31. *Ne invideto ulli violento*, & paucis interpositis, *vers.* 34. *Si illusoribus illudit, mansuetis dabit gratiam.*

Et de hoc loco obscuro & difficili, hæc dicenda habui. Paulo liberius excurrere placuit, ut usum Grammaticæ vobis ostenderem; in cujus minutiis, velut *Mentha* & *Cumino, decimandis*, ita vos occupatos nolim, *ut quæ graviora sunt legis omittatis*: nam ut sapientes Dominus Pharisæis dixit, *hæc oportuit facere, & illa*

Mat. 23. 23

illa non mittere. Omnibus itaque nervis ad graviora contendite, ſed neque leviora hæc negligite. *Qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet.* Grammatica nucem frangit, ubi ſanæ Doctrinæ eſt nucleus. Si nucem fregi, eſt quod volebam: nucleum vobis præbebunt reverendi mei fratres, & nos alias, pro modulo noſtro. Verbis *Auguſtini* concludam, is *Lib.* 3. de Doctrinâ Chriſtianâ, *cap.* 23. de ſacro hoc proverbio ſcribit *nullam fere eſſe paginam Sanctorum Librorum in quâ non ſonat* ut aures veſtras perſonaret operam dedi, cordibus vero inſcribat, idem ille ſpiritus, qui *Salomoni* illud inſpiravit: ut non inaniter *Scripturam dicere, Deus reſiſtit ſuperbis, humilibus vero dat gratiam,* bono & ſolatio veſtro ſentiatis.

FINIS.